V.

JO. GEORGII KULPIS, JC.

Oratio Inauguralis

De

ANALOGIA JURIS,

In

Academia Argentoratensi, cum Institutionum Imperialium ac Publici Juris Professionem auspicaretur, Solenni Panegyri habita.

Ornatissimi Hospites!

SI Lucium Crassum, Romanâ facundia disertissimum, non solum Q. Maximi, Prætoris, sed Soceri quoque sui, Scævolæ, auctoritas; Si Curionem, Ciceronis in perorando suavitas; si ipsum denique Demosthenem, maximum Græciæ Oratorem, Phocionis, non tam doctrinâ, quam morum gravitate celebris, præsentia, attonitos reddere potuit, ut loqui pertimescerent, sibique alias sueta dicendi felicitate paulò destituerentur: quis mihi, qui ab omni studiorum elegantia, mundoque Oratorio penitus inops sum, vitio verteret, quando sermonem nunc habituro, in istius operis decursu, justa rerum copia, aut omnino etiam decentia verba perirent? in Concione quidem tam Solenni splendidaque, ubi non unius Prætoris auctoritas veneranda; non unius Oratoris facundissima suavitas; non unius Viri gravis magnifica præsentia, ante oculos mihi sistitur, sed prolixus tantarum undique virtum numerus, intra hujus Auditorii parietes, velut in compendium aliquod, coactus, me circumvallare videtur, ut, quicquid vel in Q. Maximo aut Scævola, vultus Majestas; quicquid in Cicerone, eloquentia; quicquid in Phocione, venerabilis morum præstantia, valuerat; quicquid tandem, vel literarum, per omne genus eruditionis, fastigium; vel civilis prudentiæ, ex longo rerum usu, perfectio; vel in universum, cultioris humanæ consuetudinis, passim demonstratæ, pulchritudo, in multis aliis, splendoris facit, excitatve admirationis, id omne, in pluri-

bus, Illuſtris hujus Conſeſſûs, decoribus, individua neceſſitudine conjunctum, in cæteris, per ſingulas ſui generis animas diſperſum, ſatis utique efficaciæ habeat, quo cogitationibus meis timiditas, conatibus torpor, titubatio verbis, obrepat incutiaturve. Et ſane eſſet, cur de ſucceſſu feliciori haberem dubitandi rationem, ſi pompæ ſtudere, aut affectare feſtivitatis granditatem aliquam, vano conſilio, inſtituiſſem: nunc, ubi ſimplici pietatis inſtaurandæ propoſito, hoc, quicquid eſt operis, ſuſcipere decrevi, cujus argumenti profectus, cum ſanctimonia deſideriorum, mentiſque ingenuitate potius, quam Orationis ornatu, optet æſtimari, neſcio, quæ apud animum meum naſcitur fiducia, quâ penitus mihi perſuadere, certuſque inde fieri, audeo, fore, ut abſque cura & arte ulla, eoque etiam, ſine omni futuræ hæſitationis periculo, apud aures Veſtras liceat profiteri, quas DEO preces, Senatui Academico gratias, cæteris præterea Auditorum, pro cujuſque dignitatis conditioniſve ratione, promptitudinis officiorumq; teſtationes, offerre, publicâ neceſſitate impellor.

Nam, ſi ſaniores etiam Gentiles, ſolo rationis, in tenebris, verique cultus divini ignorantia ſuperſtitis, ductu, eruditi, cujuſque rei auſpicatæ principium à Jove ſuo ducendum eſſe, agnoverunt; quanto magis Chriſtiani nominis ſtudiique conſortes decuerit, quibus præter naturalis illius luminis inſtrumenta, ſingulari quoque ſupremi Numinis revelatione acceptæ leges, ſinceræ perfectæque religionis præcepta commendaverunt, ut, quicquid dicendum faciendumque ſibi exiſtimaverint, ab auxilio divino, precibus ſuis expetendo, cupiant inchoare; maxime vero, poſtquam ex ejuſdem religio-

religionis sanctissimæ regulis, de benigna exauditione ac securturæ gratiæ affluentia, tam largiter sibi possunt polliceri, quicunque ad Venerandum illum auxilii dispensatorem, pio puroque corde ac proposito, sponte confugiunt, provolvunturque supplices: cujus quidem indulgentia, & in nostras actiones permissa virtus, abunde præstant, ut bene cœpta prosperi invicem successus sequantur, lætique tandem eventus coronent; aut ubi etiam aliquando, ultra prima conata, infelicitates, ex sancto, nulloque humanæ ratiocinationis studio perscrutabili, divini Consilii decreto, immissæ, aliaque varii generis impedimenta, assurgere non patiantur, ille tamen nos manet lætissimus fructus, ut sua constet conscientiæ rectitudo, sua animo tranquillitas, maximum inter homines bonum, & quo in hâc terrâ mortales æternitati quasi præludimus.

Quodnam ergo auspicium vel antiquius, vel gratius, felicius denique, mihi esse potest debetque, dum primum hanc Cathedram conscendo, atque inde muneris Professorii, Inclyti Senatus Academici suffragiis, mihi nuper mandati, initia facere sustineo, quam si ab Altissimi Numinis exoratione propositi hujus exordia pie capiam, ulteriorumque consecutionum spem omnem atque incrementa, à benignissimæ voluntatis Ejus arbitrio suspendam?

Tu enim, Clementissime DEUS, qui me, in hunc rerum ordinem editum, sacroque fœdere civium Tuorum numero receptum, tenerrimæ Parentum sollicitudini, mox fideli Optimorum Doctorum curæ institutionique, commendavisti, qui studiis meis profectus, profectibus Patronos, conciliasti, qui in omnibus uber-

 rimo

rimo bonitatis Tuæ proventu mihi hactenus ſuccurriſti; Tu nunc quoque, memorabili vitæ meæ periodo, vocationis hujus Auctor fuiſti, atque ſic certiſſimo documento, eam mihi iterum feciſti gratiam, ut, quanta & qualia ſint Tua beneficia, oculis paulo interioribus adſpicere, animoque devotiſſimo recordari, poſſim; ut denique ſecundos rerum mearum ac Conſiliorum exitus, non propriæ induſtriæ viribus, non hominum aliorum operæ, non Fatorum cuidam neceſſitati, ſed Tuæ, Benigniſſime Pater, Tuæ unice providentiæ, quâ, quicquid omnino eſt, mirabiliter curas, tribuere diſcam; cujus diſciplinæ ſanctitatē animus meus in preces, ſuſpiria, vota, gratias juſtas, reſolvitur, ac in pleniſſimam tandem fiduciam deſinit, quâ ſperare utique debeo, fore, ut, qui me, divino Tuo Conſilio, hâc ſtatione collocaſti, ubi mei quidem humeri ferendo oneri longe ſunt debiliores, auxilio Tuo non ſis deſtiturus, quod ardentiſſimis ſtudiis ego rogare non deſinam.

Tu itaque, ſumme DEUS, vires largire, ut iſthoc munere meo, eâ, quâ pàr eſt, ratione, defungar, ex voluntate Tua, ſancte; ex Reipublicæ juſſu, honeſte; ex voto Academiæ, feliciter; ex officio boni civis, decore. Tu me totum contra ſeculi mala, ac difficultates, conſtantem redde atque obfirma; Tu mentem deinceps quoque pietate, ſapientiâ intellectum inſtrue; alacritatem voluntati inſpira; eruditione linguam calamumque imbue, ut, quicquid cogitem, dicam, ſcribam, faciam, ad amplificandam Nominis Tui gloriam, Reipublicæ ſalutem, Academiæ decus, diſcentium utilitates, pertineat atque excreſcat.

Preces

Preces istas & religionem pietati dare debuimus. Sed expectatis fortasse, *Auditores*, ut & mori Academico satisfaciam, dissertationemque subjungam, antequam cæteris officiis præstandis accingar; cui quidem instituto, ne subtraxisse me videri queam, de *Analogia Juris*, ad quam sæpe Doctores nostros provocare, constat, quæ necessitas ejus, indoles, usus, insignis sit, per universum Jurisprudentiæ studium ostendere conabor. Cumque jam satis meminerim, me non agere apud Trium Viros, aut Quæstores rerum Capitalium, de cujusquam vita, aut fama, aut fortunis, unde periculum sit, ne apud eos, non satis benivolos & attentos, causâ excidam, quæ sola fere priscis oratoribus ratio fuit, tot tantisque verborum lenociniis atque dicendi artibus, velut cuniculis, judicum animis irrependi, ideo non est, quamobrem conquisitis operosè solennibus illis Scholarum formulis Auditores meos obtundam, quibus sua cujusque persona, decorque ipse publicus, huic quoque operi exsolvendo, decentem habitum ac gestum formabit: Vobis faventibus libentibusque, ego operam dabo, ut dicam, non sane Albutii alicujus Rhetoris exemplo, quicquid dici potest, sed fortasse quantum debet.

Et initio quidem satis manifestum est, in nullo olim populo, nullaque gentium ætate, ad illustrandum jus ac legum disciplinam, majorem unquam positam esse operam. quam apud Romanos, postquam enim amissa sub Cæsaribus libertate, per eloquentiam ad honores nulla amplius, ac antea, patebat via, quicquid præclarorum ingeniorum fuit, per centum quinquaginta amplius annos ad excolendam Jurisprudentiam incubuit, quæ facilem tum accessum, ad summa in Republica

munia

munia præbebat. His quoniam curæ fuerat, non ſolis poſitivis ſcitis populi Romani immorari, ſed &, quid recta ratio juſtum & æquum ferret, eruere, inde contigit, ut ſcriptis Veterum JCtorum Romanorum, maxima pars eorum, quibus Univerſalis ac perpetui Juris diſciplina abſolvitur, quam Naturalis ac Gentium Juris nomine recentior Schola appellare amavit, inſertum reperiatur, poſitivis permixta. Non ergo tam abſurde, uti primo intuitu apparebat, locuti ſunt, qui Juris Romani Corpore, ſic enim vocant, ipſum naturale ac Gentium jus contineri, dixerunt, modo recentiorum quorundam Interpretum deerrationes abfuiſſent, quibus illius formulæ abuſu, conſultum videbatur, odium ſuum ac deprimendi ſtudium, ex affectuum intemperie, adverſus unam juris partem tegere, quæ cum altera, mutua neceſſitudine, ac indivulſo ſciendi principio, ad conſtitutionem ipſam veræ perfectæque Juriſprudentiæ, tam egregie, tantaque operis efficaciâ, concurrit. Quid enim aliud, quam ſumma illa æquitatis, ſanæque rationis vis, per ſingula fere Romani juris Capita, infinitâ prudentiâ eruditioneque profundiſſime explicata, effecit, ut eidem tanta paſſim dignatio acceſſerit, quod ex eo ſolo, complura per ſecula, univerſi juris ars atque ſcientia eſſet petenda? Fuerunt equidem antiquiſſimi, magnique nominis philoſophi, Plato, Ariſtoteles, plures alii, qui curioſe prolixeque ſatis de legibus, & civili doctrina, ſcripſerunt, quæ conſervandæ humanæ ſocietati forte inſervire poſſent: nemo tamen libros iſtos in eum uſum recepit unquam, ut ſecundum eorum decreta jus diceret. Imo ipſi Græci, adeo non admiſerunt, ut potius proverbii vice, cum quid inconcinnum ac frivo-

frivolum significare voluerunt, ψυχρότερον Πλάτωνος νόμων, *frigidius Platonis legibus* esse, dixerint. At vero JCtorum nostrorum responsa, Romanasque leges, non Romanæ solum Provinciæ, quæ summo eorum, qui jus tale constituerunt, imperio tenebantur; sed hostiles quoque populi, imo illi ipsi, qui armis suis ac victoriis Romanum Imperium everterunt, observare non sunt dedignati. Sane apud Germanos, si non diserto Imperatorum Statuumve jussu, consuetudine tamen & fori usu, per duo fere abhinc secula, autoritas ejus eo evaluit, ut merito *jus suum* appellare possint, atque inde in definiendis pro Tribunali litibus, rationes; in interpretandis legibus aliis obscuris, regulas; in consulendo denique, decidendo, respondendo, de casibus controversis, fundamenta, depromere ac usurpare debeant. Et quam vellem, veteri sua puritate, naturalique connexionis ordine, jus istud, eâ, quâ ab antiquis JCtis propositum, ac Justiniani Imperatoris auspicio digestum erat, ratione, perstitisset? nam, postquam usus præsentioris, propiorisque ad hodiernum Reipublicæ statum accommodationis prætextu, Glossatorum emblematibus, operosi insuper Commentarii plures alii accesserunt, vix aliud quid effectum est, quam, ut jus, quod antea satis certum erat, vagum; quod clarum, dubium; quod concinnum firmumque, lacerum atque discerptum redderetur, &, quod omnium gravissimum haberi debet, quod antea legitimo judiciorum ordine, componendorum feliciterque expediendorum civilium negotiorum disciplinam continebat, deinceps in cavillandi, litigandi, protelandique artem fere descivisse fuerit visum. Hinc ipsi Jurisprudentiæ, rei ex se præstantissimæ

omnique laude digniſſimæ, ab imperitis graviſſima ſubinde ejus generis crimina intentata vidimus: alii quoque, qui deliquia hominum à rei vitiis ſatis alias diſcernere norunt, communi objurgantium cœtui, quanquam diverſo maxime conſilio, ſaltim ut cauſæ ſuæ ſtudiiſque præſentibus ſervirent, ſe adjunxerunt. Nomina omnia & propoſita ut referam, nec veſtra ſinit patientia, & ambitioſum magis, quam utile foret. Non defuere quidem ex altera parte vindices, qui dignitatem rei innoxiæ aſſerere variis modis ſuſtinuerunt. Alii, cum incommoda omnia, quæ ex ſiniſtra principiorum applicatione in ſcientiam hanc invecta ſunt, ſe tollere poſſe deſperarent, *Conſiliis* ſuis de *ſtudio juris* felicius *inſtituendo*, defectum ſupplere voluerunt: quidam de ipſa *Juriſprudentia in* meliorem *Ordinem redigenda* fuerunt ſolliciti: nonnulli de *novo* prorſus *Codice faciendo*, cogitarunt. quo cum ſucceſſu ſinguli, meum jam non eſt definire.

Contendere tamen facile auſim, poſſe iſta omnia, quæ hactenus deſiderantur, feliciſſime obtineri, ſi majori operâ, tum de Analogia Juris ipſa, tum de ſtudiis, quorum ſubſidio in rationes illius atque fundamenta deſcendimus, diſquirere, nobiſque artem iſtam propriam facere inſtituamus. Cujus quidem ſententiæ tot me habere Eruditiſſimos Viros ſuffragatores, exiſtimo, quotquot hactenus ſcriptis ſuis, tam crebro, tantoque apparatu verborum, ad analogiam Juris provocare conſueverunt; Ubi, ſi autoritate, ſi numero, eſſet agendum, citra periculum, adverſus omnes iſtos, qui alia remedia afferre ac proponere heic ſunt anniſi, victoriam mihi pollicerer. Licebit enim infinitis ſpeciminibus

paſſim

paſſim obſervare, in *interpretando* jure *obſcuro*, *Doctores in Scholis*, modo alienas declarationes expoſitioneſque redarguere, tanquam analogiæ juris parum convenientes, modo ſuas, in iſtarum locum ſuffectas, laudare atque commendare, ab ſeâ, quam ineſſe illis arbitrantur cum analogiâ juris vicinitate, aut conſenſu: in *decidendo* componendoque jure *ambiguo*, in *Curiis Judices*, non alio fere præſidio magis apertiuſque gloriantur, quam eâdem Juris analogiâ, quâ tanquam certiſſimâ arbitrâ caſuum dfficillimorum maximeque intricatorum, in abditiſſima quæque penetrari, ac diſſolvi egregie, oſtendunt, quæ deſperatis, nullâque fere humanæ induſtriæ ope expediendis circumſtantiarum involucris tecta putabantur: in *conſulendo* denique ac *reſpondendo* de jure *controverſo*, quicunque eam habent poteſtatem, *JCti*, tanquam ipſum juſtitiæ ſimulacrum, iterum analogiam Juris ſe amplecti ac colere profitentur.

Hoc tamen negare nemo poterit, ubi in ipſa rerum argumenta tranſierimus, præſentes tam laudati tamque adamati artificii uſus inſpectuṙi, non pari omnino profectu ſuccedere, quod à ſingulis æquali formula laboribus ſuis prætexitur, ſtudium, haud difficulter iri deprehenſum.

Nam Illi quidem, qui *Concluſionum Univerſalium* ac generaliorum principiorum *regulis*, quas *Brocardica* vulgus appellat, ſubnixi, quoties in caſibus, noviter emergentibus, exinde ratiocinatione productâ, definitionem elicere conantur, analogiam juris ſe fuiſſe ſectatos, credunt, quam minime capiant rei profunditatem, aut cognitione neceſſariâ inſtructi ſint, plus quam manifeſtum eſt. Alii, ſe id plene conſecutos arbitran-

tur, ubi interpretationibus suis annotationibusque, decisionibus & sententiis, consiliis ac responsis, illud præstiterint, ne in contextam suis principiis, consertamque domesticis fundamentis Romani juris disciplinam artemque, ulla ratione impegisse, queant inculpari. Atque hi quidem, quando per *Analogiam Juris*, ipsam juris artem, partibus suis ordinate compositam, atque illam partium inter se habitudinem, totumque artis contextum, quo à se invicem singula sub certa scientiæ norma cohærent, & ad perficiendum illud solidæ Jurisprudentiæ corpus evalescunt atque conspirant, cupiunt intellectum; videntur mihi eam loquendi consuetudinem ex Theologorum Scholis voluisse mutuari, quibus, sub *analogiæ fidei* nomine, ipsa religionis Christianæ doctrina, quatenus regulam credendorum, eorumque inter sese connexionem justam denotat ac comprehendit, indicari consuevit. Utut vero isthanc significandi rationem in universum impugnare neque possim neque debeam; si tamen ad Jurisprudentiam nostram velimus transferre, ad eam, quæ Eruditioribus quibusdam JCtis ista appellatione exprimi optatur, sensus efficaciam amplitudinemque, an penitus adscendat, pronuntiare nondum ausim: apud quos, aliud, nisi fallor, haberi debet, ipsa juris ars atque scientia, præceptis suis ac definitionibus de civilis vitæ negotiis constans instructaque, aliud analogia, quâ ad casus, regulis istis diserte nondum decisos, vim præceptorum legitimâ consecutione proportioneque applicamus, ut his quoque definitio, quæ inde adornatur, congrua sit atque conformis. Sive enim ad primam vocis originationem velimus respicere, quâ nihil aliud per *analogiam* Græcis signabatur, quam

quam quod latine *proportionem* dicimus, hoc est, si summi cujusdam philosophi verbis velim exprimere, *cujusq; rei similis ad aliam rem cognatam comparationem*; vel *rerum inter se invicem similitudinem*: Sive ad usum loquendi, quo Veteres utebantur, attendamus, eâdem prorsus ac indicavimus ratione, id fuisse acceptum, manifesto constabit. Non poterit hoc illustriori exemplo edoceri, quam si quis priscorum Grammaticorum, tum Græcorum tum Latinorum, de *Analogia Sermonis* institutas olim disputationes, perquam subtiles cognituque dignissimas, repetere, atque inde ad eam cui nos operamur, *juris analogiam*, accommodare sustineret; quanquam enim ex *multis* illis *libris*, quos *Varronis* indicio scimus, in hac doctrinæ parte, sectarum quoque veluti diversis Scholis constitutis, fuisse consumtos, quorundam nihil aliud, quam *exigua* quædam & pauca *fragmenta*, tanquam ex naufragio tabulæ; nonnullorum *sola nomina*; aliorum *ne nomina quidem*, sint ad nostram memoriam usque propagata: universæ tamen contentionis locupletiorem notitiam, ipsumque adeo argumentum, quem laudavimus, *M. Terentius Varro*, isque fere solus in omni antiquitate, sufficienter, quantum heic quidem opus est, nobis conservavit. cujus deinceps non minus, ac *Julij Cæsaris* industriâ, quam Libris, eodem fere tempore, ad Ciceronem, communem Romanæ facundiæ parentem, scriptis, circa latini potissimum sermonis compositionem, sub certa Ordinis lege adornatam, demonstraverunt, abunde puto innotuit, per *analogiam* istam nihil aliud eos voluisse intelligi, quam *rationem atq; normam latini sermonis, sub lege proportionis, ex similitudine, in constantem regulam loquendi*

 coali-

coalitam, ita ut vocis alicujus indoles atque motus, ubi de eo dubitamus, ex certa ratione conditioneque alterius vocis, cui comparari poteſt, definitionem ſuam ac æſtimationem accipiat. Quæ tota explicatio, cum, omnium confeſſione, à Mathematicis deſumta, poſtea quoque in reliquis philoſophiæ partibus retenta ſit, cur in Juris noſtri arte deſeri debeat, aut in alios ſignificatus diverti, cauſæ equidem nihil video.

Quare nec erroris cujuſdam inſimulari, aut affectatæ præter neceſſitatem novitatis, accuſari poſſe cenſeo, qui eam potius *juris analogiam* appellat commendatque, dexteritatem iſtam, artificium, vel quocunque demum nomine exprimere velis id, cujus præſidio, quoties vel interpretandum jus, vel decidendi caſus, vel dijudicanda controverſia eſt, toties conducto jure caſibuſque ſimilibus, ſi quæ obſcura ſunt, ex perſpicuis; ſi quæ ambigua, ex certis; ſi quæ contentioni obnoxia, ex definitis, conſideratâ ubique & perpensâ exactiſſime circumſtantiarum ac negotiorum qualitate varietateque, ita definiuntur, ut *proportionale*, ut ſic loquar, juris *remedium* iis adhibeatur appliceturque.

Atque iſta omnia luculentius apparebunt, ubi rationem quoque conſideraverimus, quâ juris iſta analogia comparari eruique poſſit, & ad juſtitiæ adminiſtrationem, pro cujuſque muneris conditione, utiliter transferri; nam ſi qua ulla alia, certe hæc debet quam minime ſuperflua meditatio exiſtimari.

Principem locum obtinet, ſummumque adeo fundamentum conſtituit, ipſa ſolidior *legitimæ ſcientiæ* & exacta prorſus *cognitio*, aſſidua juris lectione tractationeque adquiſita, atque ad civilium rerum actuumque

diſcepta-

diſceptationes, exercitatione haud vulgari, translata, donec in verum perfectumque *habitum juridicum* roboretur, & convaleſcat: cujus ſubſidio deinceps, ſive ad primum propoſiti argumenti exordium attendendum ſit, cujuſque partis genuina certaque principia indagare; ſive ad ulteriorum conſecutionum decurſus reſpiciendum, ex principiis iſtis, per varia legislationis incrementa, derivatas regulas ac definitiones eruere, convenienterque in præſentes uſus deducere; earum denique inter ſe connexiones, connexionum ubique rationes, juſte comprehendere, ac demonſtrare ſufficienter, poſſimus. Quid enim *de Analogia Juris*, vel mente concipere, vel verbis alteri explicare, vel negotiorum denique expeditione oſtendere, valeret, qui, ipſum jus illud, in certam diſciplinæ formulam adornatum, ad quod comparatio inſtituenda eſt, nondum plene ſatiſque, per ſingulas ſui partes, cognovit, ac ſibi familiare penitus propriumque reddidit? nam ad hoc ſane inſtitutum, aliqualis extantiorum capitum, qualia forte in frequentiori fori uſu quotidie uſurpantur, notitia, nihil quicquam proderit, utut aliàs, in cætera civilis vitæ conſuetudine, & interdum apud hos quoque, qui tuendis cauſis operam ſolent collocare, inſignem ſpeciem habeat, quâ interioris univerſaliorisque doctrinæ defectum abſcondere poſſint, vel abunde adſcitis pragmaticorum carminibus utcunque ſupplere. Concatenata eſt noſtræ hujus ſcientiæ natura ac conſtitutio, quam vel unius membri luxatio, debilem non modo, ſed ad optati operis inſtaurationem, impeditam penitus ac inutilem, reddit.

Cæte-

Cæterum, quænam ſpecialius, & quam operoſa, perque omne ſapientiæ genus diffuſa, iſta ſint media & præſidia, ſeu domeſtica, ſeu extrinſecus accerſita, per quæ in perfectiorem illam juris artem feliciter progrediamur, poſt tot graviſſimorum JCtorum paſſim promulgata indicia, & conſilia maxime ſalutaria, ut ego nunc ediſſeram, ſuperfluum, ac ab Illuſtris hujus Conſeſſus, expectatione alienum puto fuerit: niſi quod ad uſum noſtræ analogiæ, tum cordatioris philologiæ ſtudium; tum diſciplina iſta, quâ rectè faciendæ interpretationis regulæ continentur, ſingulari quadam efficaciâ, & præcipuo ſui elogio, mereantur nominari. Cum enim voces ac loquendi conſuetudines, in legibus tales ſæpe reperiantur, quæ aliquando claræ quidem & uſitatæ fuerant, poſtmodum vero temporis lapſu oblitterentur, & paulatim à præſenti loquentium uſu ita removeantur, ut deinceps non multum ab ænigmate videantur diſcrepare, obſcuritas naſcitur, qualis, progreſſu annorum, varias inſuper Eruditorum lectiones, etiam in exterioribus ſcripturæ figuris, ſolet generare: & tamen, ubi prolatâ per analogiam ratiocinatione, ex iſtis, olim, tanquam in futuræ regulæ vim, definitis, recens evenientium caſuum dijudicatio ſuſcipi, eorundem deciſio, juri conformis, adornari debet, omnino neceſſarium eſt, accuratam prius notitiam illorum ſibi conciliaſſe, quam de aliis, certa proportione iſtis accommodandis, velimus eſſe ſolliciti. Iſthæc vero difficultas, utut præcipue in Romano Jure, cujus uſus fere communis, & diſciplina ſingulis propemodum gentibus propria, eſt, deprehendatur, ex Legibus XII. Tabularum, omnium inſecutarum vero fonte ac principio, coorta,

de

de qua, pluribus jam abhinc seculis, à *Sexto Cæcilio*, qui in jure illo, atque legibus Populi Romani noscendis, interpretandisque, scientiâ, usu, autoritateque illustri pollebat, præclare legimus fuisse admonitum, *ne obscuritates earum, culpæ scribentium*; sed partim *inscitiæ non assequentium*, potissimum vero *temporum vetustati* assignemus, dum *longa ætas verba atque mores veteres obliteraverit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa sit.* Nihilominus tamen hodienum in aliorum quoque populorum, & Germanorum præsertim, Constitutionibus, latino æque ac vernaculo sermone compositis, quæ, laudanda nonnullorum sollicitudine, ex antiquitate nobis conservatæ sunt, licebit idem observare; quarum utique obscuritas fere omnis adscribi debet vocabulis priscis, & per annorum diuturnitatem cognitioni nostræ subtractis. Eas, qua ratione quotidianis usibus, cum successu feliciori, possumus destinare, nisi removeantur impedimenta, quæ verbis ipsis, eorumque sensui, extrinsecus obstant? adversus quæ, non aliunde fortius, quàm ex solidâ, veræque discretionis & industriæ laude commendata, eruditione critica, remedium expectari potest. Neque deest hominum doctissimorum copia, qui, vel insistendo hanc viam, aliis exemplum: vel decurrendo, idoneum præsidium relinquere cupiebant; quorum compendium exhibere voluisse, debent existimari, qui, Romanis quidem institutis illustrandis, *Ælij Galli*, JCti Veteris, imitatione, *de Verborum, quæ ad jus pertinent, significatione*, commentati sunt: aut aliorum populorum legibus declarandis, *glossaria* sua nobis commendaverunt.

Quo intenſior vero eſt, quæ huc affertur, opera, eo facilius redditur, quicquid ad bene fundandam artem iſtam, jus & caſus abſtruſiores interpretandi, omnino pertinet, & neceſſarium eſt. Quanta hic regnent arcana atque myſteria, variaque inventa alia, vix apertius, quam in ipſis antiquiorum JCtorum exemplis, poteſt cognoſci; qui togâ negotiiſque verſati, ſæpius in re præſenti artificii hujus ſpecimina, non ſine poſteritatis admiratione, præſtiterunt. *Titus Ariſto, Salvius Julianus, Herennius Modeſtinus*, illuſtria in Jure noſtro nomina, nunquam fere ſui temporis Autoribus memorantur, ut non, ob hoc etiam ſtudium, ſingulari ornentur elogio. Ex his, quæ ab Iſtis paſſim ſunt tradita, poſt reſtauratas literas, recentiores JCti, non ſolum, præclara ſuis laboribus ſubſidia aliquando conciliarunt; ſed generaliori tandem inſtituto, certas eruerunt adornaruntque regulas, quarum contextus nobiliſſimam illam Interpretationis diſciplinam extruit, quæ analogiæ noſtræ exercendæ, tam egregie inſervit, ſi debito modo uſurpetur.

Nam in eo ſane ultimum denique robur conſiſtit, ut præſentibus fundamentis, adminiculiſque cæteris omnibus, recta atque ſubtilis *intelligendi* facultas, & ſolidum, dijudicandiſque rebus aptum *judicium* accedat, à quo, Juſtinianus Imperator, iterum Julianum, ac Papinianum non tantum laudavit Ipſe, ſed horum quoque exemplum, & Profeſſoribus, & Judicibus ſuis propoſuit commendavitque. Atque heic pleno velut alveo decurrit, flumen iſtud, quo in verum analogiæ uſum devehimur, quando ſub *judicij*, ut ſic loquar, *practici*, autoritate ac directione, in ſingulis legum partibus, certus

verbo-

verborum ſenſus; vera Conſtitutionis ſententia; principia & rationes juris interiores; factæ legis occaſio & impellens cauſa; exacta omnium adhærentium qualitatum indoles; circumſtantiarum conditio & habitus; intentio denique ac ſcopus legislatoris, inquiritur cognoſciturque, ut exinde caſibus ſimilibus ſimilem definitionem imponere, facta diſparia diversâ æſtimatione cenſere, ubique vero, quod juſtum rectumque eſt, ſectari, hocque ipſum, *Analogiæ Juris* ſtudio, obtinere ac oſtendere poſſimus.

Sed exiſtimaverint forte aliqui, ex Veſtro præcipue numero, qui condiſcendæ Juriſprudentiæ adhuc curam habetis, *prolixiorem* juſto, & *difficiliorem* inſuper, eſſe *viam* hanc, quam, ut à quovis facile iniri queat, aut etiam meta illius attingi; fortaſſis etiam, non tam *neceſſariam*; cum non defuerint, qui omne illud, quod nos in Juris analogia quærimus, præſidium, aliis, longe minori operâ comparandis, inſtitutis, tribuere non ſint verecundati, ubi, vel annotationibus communium regularum, in quas tandem juridica concluſio omnis reſolvitur, grandia extent opera, unde deciſionum fundamenta depromere queamus: vel etiam, poſt tantum reſponſorum, Conſiliorum, ſententiarum numerum, in publicum jam promulgatum, parum ſuperſit, aut contingere poſſit, cui non ex iſtis, accommodanda in *terminis*, ut vocant, *terminantibus* concepta *deciſio* reperiatur; quare, ſi quis tali conſignatione *Indicem* aliquem, aut *memorialem libellum*, velit inſtruere, exinde, quoties opus fuerit, in neceſſarios uſus poſſe depromi, quicquid ab humanæ memoriæ ope expectari nequit.

Sentietis procul dubio, *Auditores*, aliquid eos dicere, qui hoc causentur, rem omnem nequaquam expedire. Quemadmodum enim isthoc cursus spatio consistere, facile patimur, quos facultatum suarum rationes totum emetiri iter non permittunt; ita hi, quibus ad perfectionis complementum pertingere, volupe est, altioribus utique gradibus incedere debebunt. Labores istos, quales in subsidium Jurisprudentiæ nonnullorum industria produxit, non improbo; sed, quam non sufficiant, definiendis, ut jactatur, singulis, qui evenire possunt solentque, casibus, haud difficulter iis apparebit, qui *Bertachini* alicujus *Repertorio*, aut *Tuschi Conclusionibus*, aut *Thesauro Barbosæ*, potissimum adhærere consueverunt. Non dicam de nimia plerarumque ejusmodi regularum inconstantiâ, quibus tot, hinc ampliationum, inde restrictionum additionibus, vis regulæ omnis fere adimitur, aut hoc saltim efficitur, ut, quid eo nomine censeri proprie debeat, utplurimum valde sit obscurum. Jam vero, in disciplina, tanta negotiorum circumstantiarumque varietate latissime diffusa, pleraque non posse universalibus præceptis contineri, quis ignorat? neque tamen hoc ab eo, qui legis ferendæ habet potestatem, exigendum est, ut singularia quæque facta, speciali itidem definitione persequatur: præterquam enim, quod humani ingenii prudentiæque vires longissime excedit, ut qui unquam, in hac rerum mutabilitate, accidere possunt, casus, illi in futurum quoque perspiciantur, suamque lege aliquâ constitutam accipiant æstimationem: Sane, vel id Consilii importunitatem satis manifestaret, quod, etiamsi concederetur, cui tamen omnes sciunt quam multum rerum veritas

repugnet,

repugnet, post tot seculorum experientiam, nihil superesse posse, quo vel Constitutionibus Imperantium, vel Judicum decretis, vel responsis JCtorum, specialiter certum jus statutum non sit; nemo tamen, tam durus tamque iniquus suæ ipsius facultatis æstimator fuerit, ut, qui omnino prodiere casus, eos Judices JCtosque memoriâ suâ, vel posse, vel debere, complecti, vane opinetur: aut, quo modo, summa etiam observationis sedulitate, duraturis chartis, ut singula inferantur, aliquis nunc præstiterit, ex quo eruditioribus constat, quam non pauca, ex ingenti copia, vel propter temporis vetustatem, vel incuria hominum, perierint; vel etiam plurima literis initio sui mandata non sint, sive, quod superfluum videretur, etiam diligentibus, omnes rerum circumstantias singillatim percolere, sive, quod quarundam gentium moribus conveniret, memoriæ potius hominum, quam scripturæ, res suas concredere. Proponamus nobis *Ærodij* alicujus, specioso titulo aliquoties literato Orbi oblatas, *rerum ab omni antiquitate judicatarum, pandectas*, facile puto sagacioribus constabit, nil nisi specimen, doctissimum Virum voluisse exhibere, quo aliorum industriam ad paria studia provocaret, quibus copiosiore legum omnis ævi, populorumq; & nationum, indice adornato, subsidium pareretur, unde, quæ incidunt facta, cum autoritate quadam & Majestate præcipua, possent explicari. Atque hoc quidem, si quis effectum dedisset, ut, quid unoquoque de casu, ullo tempore, vel legibus constitutum, vel prudentum definitum responsis, vel judicum sententiis pronunciatum decisumque sit, illud, accommodato ad promtum memoriæ usum ordine, dispositum ederetur,

tur, eum, quis diffiteri jure poſſet, ingenti memorabilique auctuario Juriſprudentiam locupletaſſe? Neque tamen exinde conſecutum quis ſe poſſet confidere, ut, poſtquam à legum ipſarum authenticis fundamentis abſceſſiſſet, in reliquis irrefragabili ductu gloriari nitique poſſet; cum ne docendum uberius ſit, quod omnium oculis, multorum ètiam invidioſis accuſationibus, eſt expoſitum, quanto diſcrimine inter ſe totæ Juriſconſultorum acies, & olim & hodie, diſſideant, quâque animorum contentione ac vehementia, ſuas quiſque partes, quas ſemel, interdum fortuito judicio, elegit, aut in eas, præconceptæ diſciplinæ opinione, incidit, deinceps tueatur. Inter quos, cum non poſſit, ab utraque parte, veritas conſiſtere; ut diſcernere queas, utra ſententia veritati propior ſit, *novo* iterum *Duce*, novoque indice opus erit. Quem, qui vel in *Gloſſæ* autoritate, vel ſolius etiam *Bartoli* aſſenſu, quærere fuerunt auſi, niſi quorundam Conſtitutionibus ſcirem inductum, temerarios non minus, quam abſurdos, ſemper mihi viſos eſſe, dicerem: quaſi ab unius aut paucorum hominum, nec tam grandi, ingenio judicioque, velut oraculo quodam, ſuſpendi poſſit, de quo & præcedentis & inſecuti ævi vaſtiſſima eruditio diſceptabat; aut etiam, ſub intolerabilem iſtam ſervitutem ſe cogi, paſſuri ſint, quibus tam faciles ſecundum libertatem vindiciæ in promtu habentur. Illi vero, qui *communis opinionis* idolo, hunc honorem aliquando detulerunt, ut ex ejus parte, quod in juſtitiæ adminiſtratione, pro recto & æquo haberi debeat, neceſſario ſtare exiſtimaverint, in quam falſa, manifeſtique erroris convicta perſuaſione fuerint, luculenter agnoſcunt, poſtquam ſen-

tentias

tentias *communes contra communes*, integris etiam voluminibus, in publicum diſpergi, aſpexerunt.

Quodnam ergo aliud vel ſupereſſe, vel omnino excogitari, poſſit ſubſidium, cujus arbitrio controverſiæ iſtæ dijudicentur, quam, quod commendavimus hactenus, *Analogiæ Juris* remedium, ego ſane penetrare aut aſſequi non poſſum.

Quare qui ſibi, qui ſtudiis ſuis, quam luculentiſſime cupiunt eſſe proſpectum, illi ſuæ, in Juriſprudentiam collocandæ, induſtriæ vim omnem eo conferant, ut ex iis, quæ jure ac legibus, vel definita *certo* ſunt, vel *clare* explicata, prout cujuſque ingenii memoriæque facultas capit, tam locuples ſibi penu comparent, unde aliquando in re præſenti, ſuo quiſque loco, adgubernante judicii naturalis rectitudine, lucem illis ac certitudinem poſſint conciliare, quæ pro muneris conſuetudiniſque quotidianæ ratione alterutrum ex his deſiderare noſcuntur.

Atque jam ex *Ampliſſimo* iſthoc *Conſeſſu*, neminem fore cenſeo, qui non neceſſarium ac inſignem, per univerſum Jus noſtrum, qua publicum eſt, qua privatum, *analogiæ* hujus *uſum* videat confiteaturque. Quid aliud reſtat, quam, ut in ipſa rerum argumenta deſcendamus, conductiſque aliquot ſpeciminibus, oculari quadam demonſtratione confirmemus, de quibus hactenus in univerſum ſumus locuti? Sed cum temporis ratio ad primam inſtituti partem me revocet, pace veſtrâ me nunc dimiſſum iri confido, ſi opportuniore occaſione, forte ex hac ipſa Cathedra, me id operoſius oſtenſurum eſſe, interpoſitâ fide, promittam.

Quæ

Quæ quidem licentia, ac faciendi poteſtas, cùm ſuperiorum beneficio mihi ſit tributa; ut gratias quoque illis perſolvam, fas piumque fuerit. Principes omnino partes, atque adeo ipſum auſpicium, ex Illuſtris Veſtri, *Optimi Reipublicæ & Academiæ Patres!* ex Veſtri inquam, Collegii ſanctitate proficiſcuntur; cujus potiſſimum auctoritate, quâ ſub Regiâ Tutelâ pro bonarum literarum, ipſiuſque Academiæ, commodis, ſtrenue invigilatis, hoc quoque effectum eſt, ut iſthæc Profeſſorii muneris dignatione fuerim auctoratus. Si rei ex ſe æſtimabilis pretium, accipientis affectu creſcit, ſatis utique attollitur, qui mihi hinc contigit, honos: ſive Tantorum Virorum ſuffragia attendam, quorum ſane judicio quicquid probatur, non habet, cur aliorum vereatur cenſuras; ſive Urbis, quâ recipior, amplitudinem conſiderem, quæ per ſe magna & Illuſtris ſatis, majorem multo excelſioremque nanciſcitur gloriam, ex quo omnes artes ac literas præclaras, quæ & admirabilem dignitatem, & pergratam habent utilitatem, in ſinu ſuo nutrit, auget, tuetur; ſive Cathedræ, in quam conſtituor, celebritatem, animo repetam, quam jamdudum JCti, non homines, ſed Heroes, ſed ſemidei, animarunt, ac venerabilem prorſus effecerunt, quorum nomina appellarem, niſi ea Veſtris omnium memoriis hærerent; ſive conſortium tam nobile intuear, Virorum tot Celeberrimorum, qui hodienum, cum ſeculi applauſu, magnaque Academiæ exiſtimatione, præfulgent, qui me, ut laborum, ita gloriæ quoque ſuæ, ſocium admittere deinceps, non recuſant; maxime vero, ſi granditatem, ampliſſimamque Nominis famam Ejus Viri reſpiciam, cujus olim diſciplinâ potiſſi-

potiſſimum proficere, nunc vero, ei ad altiora munia profecto, in Academica ſtatione, ſuccedere datum eſt, magnam certe, & neceſſariam, mihi ipſi gratulandi habeo rationem. Ejus vero Felicitatis, cum vos, *Ampliſſimi Scholarchæ*, tanquam Reipublicæ Univerſæ Interpretes, hactenus præcipui fere ſitis Autores, infinitæ omnino *Vobis* à me debentur gratiæ; quas ita ago, uti poſſum, qui referre non poſſum; nec ſi poſſem, referrem, gnarus, magnitudini ac ſplendori Veſtro, parum ab homine penitus privato accedere poſſe, neque fortunam Veſtram ſatis æſtimare, quiſquis ut beneficia, quaſi mutuum, quod æqualium fere inter ſe officium eſt, recipiatis optaverit. Studia autem curæque, nunquam deerunt, quibus & Reipublicæ, & Veſtræ, & omnium, qui ope ac conſilio Rempublicam adminiſtrant, ſalutis pactione, meorum apud ſanctiſſimum Numen votorum ſummam complecti, & id, quod de me tuliſtis judicium, ſi non aſſequi prorſus, pone tamen ſubſequi, connitar.

Compellandi etiam cum honore mihi eſtis, Rector Magnifice, Excellentiſſimi Profeſſores, & in Iſthoc Veſtro Ordine, Illius Collegii, cui arctioris quodammodo neceſſitudinis vinculo deinceps adjungar, Conſultiſſimi Juris Anteceſſores! Vos olim Scholis Veſtris auſcultantem, me, optimarum rerum præceptis erudiiſtis, luculentiſque ornaſtis beneficiis aliis, ſane plurimis: Vos nuper notores mihi ad ſuperiores Noſtros: Vos ſuffragatores fuiſtis, ut in parem Vobiſcum Doctorum locum, numerum, jura, adſciſcerer. Quid ergo? Debitor Veſter ſum, jam non amplius ex Calendario, ſed nunc etiam confeſſione mea, conveniendus. At

D forte

forte non satis est, obligatum se fateri, ubi de solutione agitur. Patiemini itaque, ne ultra quem facere possim, condemner, dum quod possum, solvo, & ita solvo, ut & quod solverim, adhuc debere agnoscam. Nempe omne negotium, omne otium, in ornandis rebus Vestris, celebrandisque, ponetur. Grati animi monumenta, etiam me moriente, non morientur, & postquam vixi, vivent. In Consiliis pro re Academica, si quod in me consilium est, veritatem & justitiam: in ferendâ sententiâ, libertatem & fidem: in laboribus, industriam: in augendis Academiæ commodis, studia: pro Republica Academica, constantiam & candorem: Vobis universis, Venerationem & honorem: singulis, animi atque affectûs sinceritatem, amicitiam, officia, polliceor, semperque præstabo.

Ad Vos, Auditores cæteri, quotquot estis, omnium Ordinum honoratissimi, nostra nunc reverenter accedit Oratio. Fateor, hunc diem, mihi illustrem, vestrâ præsentiâ longe illustriorem factum esse, ex qua etiam boni ominis indicium capere, non dubito, quando Auditorium tam splendidum, neque una humanitate aut officio benignissimum, Professionis meæ initia, favore suo atque Comitate profusâ, condecorare sustinuit. Quemadmodum vero tantum honoris nondum merui, occasione defectus, ita, ut meruisse aliquando videri nonnihil queam, omni cura, omnique diligentia providebo.

Sed agite, agite Vos, Generosa pectora, spes seculi, & gloria Academiæ! agite in posterum mecum, & in laudatissimas Juris, qua publici, qua privati, exercitationes, sedulo & ardenter incumbite: ingredimini mecum

cum eam viam, cujus veſtigia Vobis antea, velut ex longinquo, deſignavi: honeſta æmulatione, de diligentiâ, inter nos contendemus. Nulla pulchrior, nulla utilior, quam quæ de virtute, & literarum ſtudiis, inter mortales ſuſcipitur, concertatio, exiſtit. Ego cum fide & aſſiduitate verſabor, ut liceat mihi ejus rei fructum uberrimum, ad conſcientiam meam referre. Vos autem obſecro, date id operam, ut deinde in incerto ſit, utrum ego meliori fide Vobis præiviſſe, an Vos, me ſecuti eſſe, videamini. Et quoniam intelligo, me non apud imperitos, ſed in ſelectiſſimorum Juvenum multitudine, loqui, quibus literarum cultus jam non exiguum judicii ſenſum conciliavit, totus etiam in optimam quandam opinionem ac fiduciam ingredior. Itaque DEUM interea venerabor, Præſidem Cuſtodemque Academiæ, ut, quæ conabimur, propitio Numine ſuo fortunare, eoque amplius producere velit, ut Regi accepta, grata Reipublicæ, Academiæ læta, ſtudiiſque noſtris, decora publice, privatimque ſalutaria, eveniant.

Cujus voti, ubi compos fuero, ex hac Cathedra,
quamvis minus facunde, ſatis bene tamen,
ſatiſque feliciter, dixi.